GASPARIS SCIOPPII

Comitis à Claravalle

DE PÆDIA

Humanarum ac Divinarum literarum.

Cum Indicibus librorum ad ſingula Pædiæ genera pertinentium.



AMSTELODAMI,

Apud JUDOCUM PLUYMER, Bibliopolam, propter Aquam, ſub ſigno Senecæ, 1666.

n
ſa
tr
pr
M
pr
fe
ra
ta
pi
nis

BREVE APOSTOLICUM.

URBANUS PAPA VIII.

Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO.

CAriſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nomen Regum, qui publico bono nati in generis humani felicitate gloriam potentiæ ſuæ conſtituunt, par eſt non minus patrocinio virtutum illuſtrari, quam oppreſſione hoſtium. Quod intelligens Majeſtas tua, cùm cæleſtes Regni fines proferat, & impietatis vires in Gallia feliciter contundat, dicitur etiam literarum ſtudia fovere, quibus cupiditatum rebellantium agmina, & impiorum dogmatum monſtra in humanis mentibus expugnantur. Speramus

ergo Regiæ magnanimitati gratas fore has literas, quibus tibi dilectum filium GASPAREM SCIOPPIUM diligenter commendamus, virum nempe iis artibus inſtructum, quibus Religionis ditio propagatur, & Principum gloria alitur. Ille enim ſublime ingenium publicæ devovens utilitati, adeò ſibi Potentium animos conciliavit, Europam nominis ſui famâ peragrans, ut eum Pontifex Maximus, Imperator Electus, Rex Catholicus, aliiſque Italiæ, Germaniæque Principes non ſolùm honoribus auxerint, ſed etiam beneficiis. Opibus autem, quibus ejus virtus decoratur, non abutitur ille ad voluptatem, aut ſocordiam, ſed ea comparat adjumenta, quæ neceſſaria ſunt homini totius Chriſtianæ Reipublicæ cauſam meditanti, & ingentem librorum vim aſſiduè parturienti. Cùm autem ingenii hujus monumenta in lucem proferri interſit publicæ utilitatis: Nos ejus rationibus conſulere cupientes, ne ex ejus laboribus improbum quæſtum Bibliopolarum

avaritia capiat, Pontificium ei Diploma conceſſimus, quo cavetur, ne quis ad annos triginta ullum SCIOPPII librum quocunque ſermone ſcriptum, aut converſum ejus injuſſu typis deſcribere, aut vænumdare audeat. Conſimile beneficium, quod ille ab Imperatoria authoritate Prædeceſſor noſter impetravit, ei petimus in præſentia à Majeſtate tua, quæ nos ipſos in primis, tum Rempublicam literarum univerſam ſolabitur iis ornamentis, atque præſidiis, quibus virum hunc de Religione, & virtute præclarè meritum exornare viſum fuerit Regali Munificentiæ tuæ: Differenti autem negotium hoc venerabili fratri Bernardino Archiepiſcopo Damiatæ, Nuncio Apoſtolico, fidem cumulatè haberi cupimus à Majeſtate tua, cui benedictionem noſtram amantiſſimè impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die 27 Julii, Anno M. DC. XXIV. Pontificatus primo.

FRANCISCUS S.R.E. CARDINALIS BARBARINUS.

Univerſi Status Eccleſiaſtici Superintendens Generalis.

Omnibus, ad quos præſentes literæ pervenerint Salutem in Domino. Cùm nobilem Virum Gaſparem Scioppium, Cæſareum, & Regium Conſiliarium, propter eximias ingenii dotes, & ſingularem eruditionem, præclaraque erga Catholicam Religionem merita unicè diligamus, teſtatum id apud omnes Principes, & optimos quoſque viros voluimus. Quare cùm eidem Romæ proficiſcendi occaſio data fuerit, quorumcunque Provincias, Civitates, & loca eum adire contigerit, enixè rogatos volumus, ut tanquam ex noſtris familiaribus unum, non liberè modo tranſire, & ex animi ſententia commorari patiantur, ſed quacunque etiam ratione poterunt, itineris ei ſecuritatem præſtent, omnique in re adeſſe velint. Eccleſiaſticæ verò ditionis Gubernatoribus, ſeu miniſtris mandamus, ut eundem Scioppium omni benevolentiæ ſignificatione complectantur, neque permittant ei moleſtiam, nec moram inferri, eorum humanitatem & fidem data occaſione mutua humanitate compenſaturi. Dat. Romæ die prima Martii. M.D.C.XXV.

FERDI-

FERDINANDUS SECUNDUS,

Magnus Etruriæ Dux.

NIl præſtantius, aut Chriſtiano Catholicoque Principe dignius, quàm quæ eruditis, doctiſque Viris illuſtrata Aula præfulget. Bonis enim artibus cunctus civis, cuncta negocia, ad honeſtatem & gloriam inſtituuntur, ubi Rex Sapientum nititur conſilio. Hinc nos Gaſparem Scioppium, Nobilem Germanum, Claravallis Comitem in clientelam, familiaritatemque noſtram perlibenter cooptamus, cujus ob acutiſſima in Hæreſin Commenta, in rem Romanam merita, uno omnium conſenſu, totum jam Chriſtianum Orbem pervagata, dignoſcimus. Eundem igitur Gaſparem Scioppinm Clientem familiaremque noſtrum ſancimus, dicimus; quibuſve clientes, familiareſque noſtros auctos volumus, noſtri amoris indiciis præcipuè exornamus. Inviolabili id ſervatura lege ſcitum capeſſat Etruria. Cæterùm Regibus, Principibus, præpotentibus Terrarum Dominis, oratos quos cupimus, Scioppio, ubi ope ſit opus, adſint, faveant, clientem, familiaremque noſtrum honeſtiſſimum Virum ſuffulturis, paria nos in eos præſtituros officia, hæ noſtræ litteræ teſtes ſunto. Data Piſis. VIII. Calend. April. Anno M. DC. XXXVI.

SERENISS. PRINCIPI, ARCHIDUCI CLAUDIÆ,

Filiæ Amantiſſimæ Chriſtiana Lotharingia, magna Dux Etruriæ, Mater.

GAſpar Scioppius Claræ Vallis Comes, præter multiplicia ſua erga univerſam Rempublicam Chriſtianam merita, nunc quoque ſatagit, ut Chriſtianorum Principum animis ad expeditionem in Chriſtiani nominis hoſtes inflammandis, bona quædam præparatio fiat ad pacem inter eos conſtituendam. Magnopere proinde ingens ejus zelus, proque Eccleſia ac Republica Chriſtiana, bonoque publico ſolicitudo, ardor, & contentio commendari merentur, omnibuſque votis ſolicitandus eſt Deus, ut piis & ſanctis ejus conatibus exitus mox reſpondeat. Puto ſupervacuum eſſe ejus perſonam Celſitudini Tuæ commendare, cùm Leopoldus, Sereniſſimæ memoriæ, eum inter Conſiliarios ſuos numeraverit, & Sua Cæſarea Majeſtas ei tanquam veteri Auſtriæ Domus Miniſtro, magnorum erga eam meritorum teſtimonium publicis, privatiſque litteris prolixè impertiatur. Nihilominus ſi qua ei in re gratia, & favore Celſitudinis Tuæ opus fuerit, gratiſſimum erit mihi, eum meâ quoque cauſâ Celſitudini Tuæ quàm commendatiſſimum eſſe, cùm præſertim magnum erga Mediceam Domum ſtudium profiteatur. Vale. Dat. Florentiæ Cal. Martii, 1634.

CARO-

CAROLUS PRIMUS,

Dei Gratia Dux Mantuæ, Montisferrati, Neverniæ, Meduanii, Rethellenſium, Sacri Romani Imperii Princeps, & Vicarius perpetuus, Princeps Portiani, Marchio Viſillianiæ, Gazoli, Doſuli, Ponzoni, Inciſiæ, Taurini, Montis regalis, Jureæ, Chivaſchi, Comes Veſcovati, & Rotingi, Dominus Luzzariæ, & Caſtrigiuffredi.

Eruditione inſignes viros, & benè de Catholica religione meritos fovere, & in primis amicis numerare ſemper dignum Chriſtiano Principe duximus: neque majus unquam à Deo beneficium nobis collatum eſſe credidimus, quàm cùm homines hujuſmodi benignitate & humanitate demerendi occaſionem aperuit. Quapropter perilluſtrem D. Gaſparem Scioppium, Nobilem Germanum, Claræ Vallis Comitem, veterem noſtræ domus, & benè meritum Clientem & amicum, eò libentius Prædeceſſorum noſtrorum exemplo in noſtram familiam adſcivimus, quò illum magna, & panè ſingularia Dei, natura, & induſtria decora clariſſimum apud Romanos Pontifices, Cæſares, Reges ac Potentatus toto Chriſtiano Orbe reddiderunt. Hic enim ille vir eſt, qui non modò liberales diſciplinas variis, plurimiſque, & iis etiam

 luci-

luculentis ſcriptis illuſtravit: ſed & Chriſti Eccleſiam jam inde uſque ab adoleſcentia contra Hæreticos fortiſſimè munivit: multas, eaſque laborioſas peregrinationes Reipub. Chriſtianæ gratia obivit, ſummiſque Principibus graviſſimis in negotiis fide ſumma præſto fuit. Cùm ergo ne nunc quidem ab honeſtis peregrinationibus ejuſdem Reipub. gratia abſtineat, teſtatum cuicunque genti, ad quam fortè diverterit, volumus, eum eſſe noſtrum cariſſimum, dilectiſſimumque familiarem, gratiam noſtram plurimis in nos noſtramque domum meritis adeptum, nihilque poſſe à quoquam gratius in nos proficiſci, quàm ſi, quantum nobis volet, favore ſeu obſequiis in eundem Perilluſtrem Comitem oſtendat: ſicuti contra nihil in nos acerbius admitti poſſe, quàm ſi illi minus ſe aut amicum, aut benevolum præbeat. Hortamur ergo omnes, & ſingulos Principes oramus, noſtris verò ſubditis jubemus, in quorum manus hæ noſtræ literæ pervenerint, ut eum tanquam familiarem noſtrum omni humanitate & favore perſequantur. Id enim nobis erit longè gratiſſimum. Dat. Mantuæ VIII.*Calend. Decemb.* M.DC. xxxv.

PÆDIÆ

PÆDIÆ SCIOPPIANÆ GENERA.

PÆdia diſciplinæ Scholaſticæ inter Catholicos uſitatæ: cujus uſus erit, ut diſtinctè ſciatur, quas pervulgata in ſcholis Catholicis humanas divinaſque literas docendi ratio mendas habeat, ſive defectus, & noxas, quantique ad totius Orbis Chriſtiani ſalutem interſit aliam rationem iniri.

II.

Pædia Grammaticæ, ſeu Myſtagogus Latinitatis: cujus uſus erit, ut qui nullum omninò verbum Latinum intelligit, uno anno, quamcunque Ciceronis epiſtolam Marte ſuo interpretari, omniumque rationes certius & expeditius reddere queat, quàm alius, vel triginta annis in linguæ Latinæ ſtudio, & exercitio verſatus. Altero verò anno Latinè ſcribendo exercendus veniet; ut non modò ſine ullo Barbariſmo, & Solœciſmo, ſed multa etiam eleganter ſcribere queat.

III.

Pædia Logica, & Rhetorica: cujus uſus erit, ut unius anni ſtudio auditores ſatis inſtructi ſint ad bonorum auctorum lectionem, & obſervationem, & ad acroaſes, ſeu lectiones publicas Interpretum Organi, & Rhetoricæ Ariſtotelis, ſimiliterque Medicorum, Juriſconſultorum, & Theologorum Practicorum.

IV.

Pædia Phyſicæ, & Metaphyſicæ: cujus uſus erit, ut Logicâ, & Rhetoricâ pædiâ imbuti uno anno Phyſicam, & Metaphyſicam ſic addiſcant, ut rerum ſcientiâ longè omnes illos ſuperent, qui trienne Philoſophiæ curriculum apud ſemitarios illos Sapientiæ inſtitutores confecerunt: etſi de nonnullis otioſis quæſtionibus, quarum nullus extra ſcholas uſus eſt, non æquè altercari, & vociferari poterunt.

V.

Pædia Latinæ Eloquentiæ: cujus uſus erit, ut purè, eleganter, ornatè, & copioſè ſcribendi facultas paretur. Atque hujus rei exercitatio inde à ſcholæ Rhetoricæ ſpatiis toto vitæ curſu extenditur.

VI.

Pædia Ethicæ, ſeu Moralis Philoſophiæ: cujus uſus erit magis ad rectè, & beatè vivendum, quàm ad ingenioſè, & expeditè de moribus diſputandum.

VII.

Pædia Politicæ ſeu Civilis Philoſophiæ cùm ex Machiavelli libris, tùm ex ſacris literis hauſta: cujus triplex uſus erit, ut humanæ Prudentiæ præcepta corroboret, cùm recta præcipit: corrigat, cùm decipit: ſuppleat, cùm deficit. Quam utilitatem ex innumeris Politicorum libris fruſtra quis ſibi deſpondeat.

VIII.

Pædia Theologiæ Agoniſticæ: cujus uſus erit, ut Theologiæ Scholaſticæ origo, progreſſio, & inclinatio, tùm vera Hæreticos refellendi ratio, etiam

etiam ſapientiſſimis, & exercitatiſſimis Theologis parum adhuc perſpecta cognoſcatur.

IX.

Pædia Theologiæ Didacticæ: cujus uſus erit, ut quis Clavem duplicem parare ſibi poſſit ad aperiendum Literalem, & Myſticum ſacræ Scripturæ ſenſum, ipſeque fiat ſicut Arbor ſecus decurſus aquarum, cujus nunquam deficiant nec fructus in cibum, nec folia ad animorum medicinam, Pſal. 1. & Ezech. 47.

X.

Pædia Theologiæ Catorthomaticæ: cujus uſus erit in dirigenda & corrigenda, ac perficienda conſcientia, & vita; eſtque revera Ars ſervandi animas

1. Summorum Pontificum.
2. Regum & Principum.
3. Epiſcoporum & Cardinalium.
4. Monachorum & Clericorum Regularium, ac Sæcularium.
5. Zelotarum quorumcunque, ſive eorum, qui Spirituales, & devoti inveniri poſtulant.

Ariſtoteles 3. Polit. 7. vel 11. Inveniuntur quidam omnium ferè Artium Pædia prediti: quibus tam concedimus judicare de Artibus, quàm iis, qui earum tenent Scientiam.

INDICES,

Seu Tituli librorum ad ſingula

PÆDIÆ SCIOPPIANÆ

Genera pertinentium.

Ad primum.

1. SAtyricon, ſeu volumen de Juventutis inſtitutione, cujus in Scholis Societatis Jeſu uſus eſt, conſcriptum anno 1602 Cujus fragmentum ſunt Elementa Philoſophiæ Stoicæ: edita Moguntiæ anno 1606.
2. Examen diſciplinæ Scholaſticæ Societatis Jeſu, tam morum, quàm divinarum, & humanarum literarum ratione.
3. Obruſſa, ſeu Lapis Lydius Religioſi Ludi Magiſtri: ſive Examen Clericorum & Monachorum, qui literas docendi capiunt provinciam.

Ad ſecundum.

1. MErcurius bilinguis: ſive nova & compendioſa ratio Latinæ, aut Italicæ linguæ intra vertentem annum perdiſcendæ, in eorum uſum, qui alterutram linguam jam intelligunt. Cujus generis parati jam ſunt alii Mercurii ad intelligentiam linguarum Hebrææ, Græcæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Germanicæ, Bohemicæ, & Sclavonicæ, ſive Illyricæ, eodem temporis, & laboris compendio parandam.

2. Gram-

2. Grammatica Philoſophica pro Linguæ Latinæ Magiſtris, & Tironibus; ut ſcilicet Tirones Magiſtri, Magiſtri autem Tirones fiant. Edita Mediolani anno 16:8.
3. Minerva Sanctiana, ſive Commentarius de Linguæ Latinæ cauſis, ipſi etiam Ciceroni, Varroni, Quinctiliano ignotis.
4. Paradoxa literaria, in quibus multa de literis novè contra Ciceronis, Varronis, Quinctiliani, aliorumque literatorum hominum tam veterum, quàm recentiorum ſententiam diſputantur. Edita Mediolani 1628
5. Auctarium Grammaticæ philoſophicæ, in quo etiam de Lexicorum Latinorum virtutibus, ac vitiis, quæque ratio in conficiendo linguæ Latinæ theſauro tenenda ſit diſtinctè diſſeritur. Editum Mediolani 1629.
6 Rudimenta Grammaticæ Philoſophicæ in uſum Tironum. Ibidem 1629.
7. Septem rationes, quæ religionem ſeu ſcrupulum Epiſcopis injicere debent, ne veterem Grammaticam diutius in ſcholis tolerare, ſed novam in eas inducere velint.
8. Editiones novæ aliquot auctorum, tamquam Cornelii Nepotis, Velleji Paterculi, & Dictys Cretenſis, cum Indicibus novis ad obſervandi, & exerpendi rationem uſui futuris.

Ad tertium.

1. PRopædia Logicæ, opus novum, omnibus philoſophari, aut quamcumque ſcientiam, artemve liberalem docere, aut diſcere aventibus imprimis conducibilè.
2. Propædia Rhetoricæ, opus novum omnibus non modò Rhetoricæ, & Poëticæ ſtudioſis, ſed & au-

& auctores quà ſacros, quà profanos cum ſtudii ſui pretio legere cupientibus inprimis conducibile. Cujus fragmentum de Exercitationibus Rhetoricis editum eſt Mediolani 16_9.

3. Auctaria Logica in uſum Theologiæ Studioſorum, edita Mediolani 1629.

4. Conſultatio de ſtudiorum ratione, deque Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis.

5. De natura, & officio Hiſtoriæ, deque virtutibus, & vitiis ſtyli Hiſtorici.

Ad quartum.

1. SYſtema Phyſicum.
2. Syſtema Metaphyſicum.
3. Syſtema Mathematicum.

Ad quintum.

1. PRomtuarium Romanæ Eloquentiæ, in uſum eorum, qui perſpicuè, purè eleganter, ornatè & copioſè Latinè cupiunt ſcribere.

2. Miſcellanea Latini ſermonis, in uſum eorum, qui interiores literas cognoſcendi deſiderio tenentur.

3. Obſervationes novæ Latini ſermonis ex Plauto, Varrone, Vitruvio, veterum Poëtarum fragmentis, Livio, Hygino, Phædro, Celſo, Aſconio, Curtio, Senecis, Quintiliano Declamatore, Juſtino, aliiſque auctoribus.

4. Veriſimilium libri quatuor. Editi Norimb. an. 1595.

5. Ars Critica: ſive mendoſos Latinorum auctorum locos ex ingenio emendandi ratio. Edita ibidem 1596.

6. Suſpectarum lectionum libri quinque. Editi ibdem 1567.

Ad ſextum.

1. ELementa Philoſophiæ Stoicæ Moralis, quæ in Ciceronem, Senecam, Plutarchum, alioſque veteres Commentarii loco eſſe poſſunt. Edita Mogunt. 1606.
2. Syſtema Ethicæ, Oeconomicæ, & Politicæ.
3. Introductio in Philoſophiam Moralem.
4. De amicitiæ legibus, deque Amici, & Adulatoris diſcrimine.
5. De Maledicentiâ, Schola Stoica, veri Chriſtiani erga malum facientes officia præmonſtrans.
6. Pervigilium bonæ Mentis, ſive de Virtutibus, Vitiis, & animi Perturbationibus; ſive Affectibus Syntagmation.

Ad ſeptimum.

1. CHiragogia Regia: ſeu Rudimenta Politica, pro Regibus & Principibus Catholicis imperandi artem cognoſcere cupientibus. Cujus figmentum Mediolani eſt editum anno 1621.
2. Animadverſiones in libros Politicos Juſti Lipſii.
3. Suppetiæ Logicæ ſcriptoribus Politicis latæ, adversùs apædeuſiam, & acerbitatem plebejorum judiciorum. Editæ Romæ & Mediolani anno 1623.
4. Machiavellica: ſive Apologia duplex, quarum priore Eccleſiæ decreta de Machiavelli libris defenduntur: poſteriore innocentia ejuſdem Machiavelli adversùs Italici nominis hoſtes, alioſque Sycophantas propugnatur.
5. Machiavellicorum Operæ pretium, ſive demonſtratio utilitatum: quas Reipub. apportat doctrinæ Machiavellicæ examen, & ad Euangelicæ veritatis normam directio.

6. Methodus de ſcriptoribus Politicis, ac propriè de Machiavelli libris judicandi, cum Synopſi libri de Principe Machiavelli.
7. Folium Sibyllæ, ſeu Divinatio Politica.
8. Fatum Imperii Turcici.
9. Fatum Imperii Germanici.
10. Fatum Auguſtæ domus Auſtriæ, ſeu Conſilium propheticum de falſa & vera ſacri Rom. Imperii medicina.
11. Fatum quatuor Regnorum Eccleſiam ventilantium.
12. Fatum Urbis, Eccleſiæ, & Curiæ Romanæ.
13. Sermo Dei propheticus de futuris regnorum Chriſtianorum eventis.
14. Euangelium æternum, ſive Annunciatio horæ noviſſimæ.
15. Fatum Monarchiæ Jeſuiticæ.

Ad octavum.

1. STatera Religioſa, ſive Examen operæ pretii Monachorum, & Jeſuitarum in procuranda proximorum ſalute: utri ſcilicet Eccleſiæ, ac Reip. utiliores, magiſque neceſſarii videri debeant.
2. Notio Cenſoria in librum Archiepiſcopi Brundiſini Romæ editum, qui inſcribitur, Ars ad ſolvenda omnia Hæreticorum argumenta.
3. Eccleſiaſticus Sereniſſimo D. Jacobo Magnæ Britanniæ Regi pro Eccleſiæ auctoritate oppoſitus. Editus Auguſtæ anno 1611.
4. Alexipharmacum Regium adverſus venena Philippi Mornæi de Pleſſis. Editum Moguntiæ 1612.
5. Collyrium Regium pro Jacobo Angliæ Rege. Editum ibidem 1612.

6. Scor-

6. Scorpiacum, ſive antidotus contra Proteſtantium venena ex Magdeburgenſium Centuriis compoſita. Editum ibidem. 1612.

7. Lectiomaſtix, pro Eccleſiæ doctrina, & Sanctorum cælitum honore, adversus Jacobum Lectium Conſulem Genevenſem. Editum ibidem 1612.

8. Thaumatologia, ſive nova, & accurata de Miraculis diſputatio. Auguſtæ 1613.

9. Pædagogus Pædagogorum, ſive ad utilem Sacræ Scripturæ lectionem Parænefis. Edita Friburgi 1613.

10. Hæreticus Elenchomenos, ad Proteſtantium conſcientiam ſine ulla diſputatione convincendam. Colon. 1617.

Ad nonum.

1. THeologiæ Eccleſiaſticæ Synopſis, duas præcipuas Theologiæ partes nemini adhuc cognitas ex S. Scriptura eruens, quibus matutina, meridiana, & veſpertina Chriſtianorum officia, ſimiliterque futurorum eventuum judicia diriguntur.

2. Fons Sapientiæ intento digito monſtratus: hoc eſt, Eclogæ ex S. Scriptura, & Sanctis Patribus de S. Scripturæ ſtudio, ejuſque Studii neceſſitate, utilitate, adjunctis, & temporibus.

3. Clavicula S. Petri ad aperienda S. Scripturæ myſteria propediem conſummanda.

4. Doctor Eccleſiaſticus, ejuſque partes, & Officia.

5. Syſtema artis prædicandi, Euangelizandi, aut prophetandi.

6. Judicium propheticum, ſive ratio probandi & cognoſcendi Prophetarum Spiritus & Scripturæ prophetias.

7. Exercitationum propheticarum volumen.
8. Chiliaſtarum ſeu Millenariorum, aliorumque Doctorum alucinationes de regno Chriſti ſuper orbem terræ futurum.
9. Commentarius de Religione, Superſtitione Atheia ſive Infidelitate, & Hypocriſi, ſeu Religione ſimulata eorum Chriſtianorum, quorum non niſi ficta eſt fides ſpes, & caritas.
10. De Officio Catholicorum erga Græcos, & Proteſtantes, & horum erga illos: utrorumque verò erga Anabaptiſtas, Judæos, & Mahometanos.
11. Schola Spiritus de ſtatu animarum poſt hanc vitam.
12. Computatio ſumtuum ad ædificandam turrim neceſſariorum. Hoc eſt Examen conſcientiæ, in uſum eorum, qui Clericatum ſuſcipere cogitant.
13. Mendacium Eccleſiæ magiſtrorum, characteriſmus è S. Petro traditus, continens eorum dicta, facta, eventa, ſimilia, & tempus, unde cognoſci, ſicque vitari poſſint.
14. De conjugio & cælibatu, rectâque, & ſancta utriuſque continentia, ejuſque continentiæ obtinendæ, & omnem furioſam libidinem excludendi via ac modo, exercitatione ſcilicet corporali, & Spirituali.
15. Hiſtoria Controverſiæ de immaculata B. Virginis Conceptione.
16. Conſultatio ad Papam Urbanum VIII. de cauſis, & modis ſedandæ controverſiæ de Conceptione B. Virginis.
17. Immaculata B. Virginis Conceptio, Sanctorum Patrum ſuffragiis vindicata.
18. Brevis Relatio ad Imperatorem, Reges, Principes,

cipes, & populos Catholicos de præſenti ſtatu controverſiæ de B. Virginis Conceptione.

19. Commentarius de S. Scripturæ uſu Eccleſiaſtico, & Politico.

20. Conſultatio ad Papam Paulum V. de ſtatu Religionis in Germania anno 1609.

Ad decimum.

1. ARs artium & ſcientia ſcientiarum, hoc eſt, ratio ſervandi animam ſummi Pontificis. Opus ab Urbano VIII. lectum, probatum, & laudatum.

2. Funiculus triplex, ſeu periculoſus Antiſtitum, & Sacerdotum Status: aut ratio ſervandi animas Cardinalium, Epiſcoporum, & Clericorum. Opus Romæ à nonnullis Cardinalibus lectum, laudatum, & deſcriptum.

3. Examen conſcientiæ, in uſum Summorum Pontificum.

4. Speculator domus Iſraël: hoc eſt, de Officio, & Præterofficio Confeſſarii Pontificii.

5. Symbolum Paſtorale duodecim articulorum, quotidie ab Epiſcopis recitari dignum.

6. Lucerna ſcrutandæ Principum conſcientiæ, ſeu ſecretum Examen.

7. Ars ſervandi animas Regum, & Principum: ſive quomodo Princeps idoneum conſcientiæ arbitrium, ſeu Confeſſarium capere, & conſervare poſſit.

8. Schola ſpiritus pro Regibus, & Principibus eorumque Confeſſariis.

9. S. Bernardus redivivus; ſive diſputatio de Religioſorum hominum Caritate Epiſcopis animo ægrotantibus debita.

10. Schola Chriſti: ſive Ars vitæ perfectæ, aut ratio ſervandi animas Monachorum.

11. Comparatio Status Monachorum & Clericorum Regularium, in eorum uſum, qui animæ ſuæ miſerentes Deo placere volunt, & in ordine aliquo Religioſo nomen profiteri cogitant.

12 Aſtrologia Eccleſiaſtica, ſeu diſputatio de claritate, & multiplici virtute ſtellarum in Eccleſiæ firmamento fulgentinm, Ordinum nempe Monaſticorum. Edita 1643.

13. Triumphus Monaſticæ perfectionis.

14. De Zelo, ejuſque natura & uſu, Dogmatica, Parænetica, & Characteriſtica Diſputatio ad dirigenda Zelotarum, ſeu Spiritualium hominum officia.

15. Syntagma de periculoſo Divitum ſtatu, rectôque Divitiarum uſu.

16. Panacæa mundi, ſive Conſilium Cæſari datum de cauſis, & remediis publicarum calamitatum. quo alii quoque Reges & Principes, eorumque Confeſſarii, Ecclleſiaſtæ, & Conſiliarii uti cùm poſſunt, tùm debent.

17. Sanitas orbis terrarum: ſeu vera ratio ſanandi præſentia Chriſtianitatis mala.

Gaſpar Schioppius in iſtis, & aliis octoginta libris ſuis nihil ſe ſcripſiſſe teſtatur, quin ex animi ſententia id Sacræ Scripturæ, Sacrorum Conciliorum decretis, concordi Sanctorum Patrum Sententiæ, ſanctæ denique Catholicæ Eccleſiæ ſanctionibus conſentaneum eſſe cenſuerit, & divinarum, humanarumque literarum ſtudiôſis, præcipuè verò populi Chriſtiani capitibus non minimum utilitatis allaturum ſperaverit. Sin autem aliquid alterius notæ ei exciderit, id imprudentiæ ſuæ aſſignari poſtulat, ſeque id pro ſuo non agnoſcere, ſed correctum, inductum, abolitum & peremtum cupere profitetur.

TALEN-

TALENTA CHRISTI

GASPARI SCIOPPIO

Ad negotiandum credita.

Matth. 15. Luc. 9.

Chriſtus vocavit Servos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, & dixit illis: Negotiamini dum venio, ut veniens exigam pecuniam meam cum uſuris.

Scioppio Chriſtus duo Talenta dedit, quæ ſunt benè de Eccleſia, ac Republica Chriſtiana merendi Voluntas, ac Facultas.

Argumenta Voluntatis Interna.

1. VOtum Continentiæ, ſeu Caſtitatis, idque ſolius regni cœlorum causâ ſuſceptum, non ut opibus, aut honoribus Eccleſiaſticis frui poſſet. Talia enim qui ſpectant ſunt *Eunuchi facti ab hominibus*, id eſt, caſtitatis voto illigati humani boni causâ, ſive alienis utilitatibus conſulentes.

2. Votum Humilitatis, quantum ad Eccleſiaſticas dignitates, & honores attinet. Nec vovit modò, ſe nunquam ullam dignitatem neque ambiturum, neque ſuſcepturum, ſed etiam ſedulò fecit omnia, ne cuiquam Pontificum, aut Epiſcoporum in mentem venire poſſet, ut eum ad dignitates eveherent. Teſtabitur ipſe Pontifex, &

præcipui Cardinalium, nullum unquam ſe verbum nec publicè, nec privatim; vel à Scioppio audiſſe, vel in libris ejus legiſſe, quod auribus, aut gratiæ ipſorum datum videri poſſet: fatebuntur autem, eum non rarò ſic ſe habuiſſe, ut culpa ſua uſu venire ſibi ſentiret illud Comici: *Veritas odium parit*; ipſeque ſua facere poſſet hæc Apoſtoli verba: *Inimicus factus ſum vobis verum dicens. An quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Galat. 1. & 4.

3. Votum Paupertatis, quantum ad Regum, Principumque liberalitatem attinet. Vovit enim ſe nihil unquam ab eis nec congiarii ſive muneris, aut doni, nec ſtipendii aut penſionis accepturum, ſed contentum fore fructibus, quos jam habet, quoſque ſe ex librorum ſuorum editione redacturum confidit: plus etiam quàm octo aureorum millia annua ultrò ſibi delata repudiavit: velut cùm Principum literis, tùm locupletum teſtimoniis docere poteſt.

4. Contemtus infamiæ: cujus ſpecimen eſt Eccleſiæ, ac fidei Catholicæ propugnatio adverſus homines maledicentiſſimos 1. Joſephum Scaligerum, literatorum Deum. 2. Iſaacum Caſaubonum, Græcæ ac Latinæ literaturæ principem 3. Ægidium Hunnium, Lutheri in Wittembergenſi Cathedra Succeſſorem. 4. Thuanum Curiæ Pariſienſis Præſidem. 5. Philippum Mornæum, Dominum de Pleſſis. 6. Jacobum Lectium, Conſulem Genevenſem.

5 Contemtus Paupertatis: cujus ſpecimen dedit in *Conſilio Regio*; quo libro Carthuſianorum jura, & bona contra Regis Hiſpaniæ miniſtros ita tutatus eſt, ut propterea plus 12. millibus aureorum fraudatus fuerit: tametſi Rex ſe illi men-

menſtruam octoginta aureorum penſionem conſtituiſſe affirmet, propter magna ejus erga Religionem Catholicam promerita, uique porro etiam utilem Eccleſiæ operam navare poſſit, hoc amplius vero tabulis ſuis fateatur, eum ſibi multis annis cum particulari ſatisfactione ſerviiſſe, ſuaque intereſſe, ut exactè ei ſatisfiat.

6. Contemtus Mortis: cujus ſpecimen eſt Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ defenſio. 1. contra Gallos à quibus Eccleſiaſticus ejus publicè crematus fuit, quem tamen librum Cardinalis Bellarminus, aliique magni Theologi ſummis tulerunt laudibus. 2. Contra Regem Angliæ, cujus librum quatuor diverſis libris editis profligavit: qui propterea ſcripto publico remedium ei violentum fuit comminatus, ejuſque libros in foro exurendos curavit. In Mimo tandem, ſeu Comœdiæ ludicro coram ſe acto perſonam ejus induci fecit, hancque in ipſum pœnam ſtatui, ut faucibus fune eliſis animam per inferiorem gutturem exploderet: velut in *Hæretici Elenchomeni* præfatione videre eſt. 3. Contra Principes Proteſtantes fœderis Hallenſis ſocios, qui Rotemburgi in concilio decreverunt, ipſi Scioppio ſublato omnino opus eſſet: quæ oratori Hiſpanico D. Baltaſari Zunicæ cauſa fuit, ut eum Germaniâ relictâ Mediolanum concedere juberet, Inſubriæque Præſidi ſalutem ejus literis accuratiſſimè commendaret.

7. Fœdus Catholicum in Germania, cujus primum auctorem, & actorem fuiſſe Scioppium, literis ipſius Cæſaris manu conſcriptis, & Trevirenſis Electoris teſtimonio doceri poteſt: ſicut etiam Comes Tillius in poculi aurati, quod ei donavit, inſcriptione, fœderis illius pri-

primum auctorem appellat: qui ſcyphus apud Benedictinos Weingartenſes etiamnum ſervatur.

8. Sacra in Mahometanos expeditio, in quam, Scioppio agente, complures Principes, ac Reſpublicæ tantum opis collaturos ſe ſpoponderunt, quantum ſi ipſi ſatis putarent, ad rem ex ingenti totius Chriſtianitatis uſu gerendam nihil præterea requirendum foret.

Argumenta Voluntatis externa.

1. TEſtimonium inimicorum, ut 1. Regis Angliæ Jacobi, cujus juſſu criminoſum Caſaubonus libellum edidit, quo teſtatur, Scioppium nec propter ullam injuriam à quoquam Proteſtantium acceptam, nec ex aliqua lucri, aut honorum cupiditate Eccleſiæ Romanæ propugnationem ſuſcepiſſe, ſeu tantùm *ex Diabolico Veritatis odio*: ſed ejus nempe quam Rex Veritatem putat, Hæreſis nempe Lutheranæ, & Calvinianæ. 2. Sicariorum undecim de familia Oratoris Anglici, qui cùm anno 1614. Madriti Scioppium multis vulneribus, ut rebantur, confoſſum pro mortuo relinquerent, ita ſibi per vias rem præclarè geſtam gratulantes audiebantur: *Euge, jam tandem magnum illum Papiſtam jugulavimus.* Qua de re typis deſcripta extat Narratio, quæ *Legatus Latro* inſcribitur.

2. Teſtimonium Amicorum, ſeu benevolentium: ut quatuor Pontificum, duorum Cæſarum, Regum Hiſpaniæ, Cardinalium, præcipuè Baronii, Bellarmini, Petronii Bandini, & Seraphini: Ducum, Principum, & clariſſimorum totius orbis Virorum. Cujuſmodi teſtimonia magno

magno numero exſtant in *Amphoridum Scioppianarum* libro, & in *Epiſtolis Clarorum Virorum* Coloniæ editis, quem librum citat P. Paulus Laimannus Jeſuita in *Juſta defenſione.*

Argumenta Facultatis interna.

1. SCientia rerum divinarum, cujus extant cauſæ, & effecta.

Cauſæ 1. Voluntas, ſive oblectatio in lege Domini, & diurna ac nocturna Sacræ Scripturæ lectio, quæ poteſt hominem inſtruere ad ſalutem ut ſit perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus: teſte Paulo 2 Timoth. 3. Hic ſimilis eſt arbori plantatæ ſecus decurſus aquarum, cui nunquam deſunt fructus in cibum, nec folia ad medicinam, & quicquid talis facit, proſperatur: Pſal. 1. Ezech. 47.

2. Vacuitas à negotiis, ſive vita quieta, nec multis actibus, aut negotiis impedita, ut ſcriptum eſt Eccleſ. 34. *Sapientia ſcriba eſt in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, Sapientiam percipiet.*

3. Abſtinentia à ſuavibus & jucundis: Ut enim eſt Job. 28. *Sapientia non invenitur in terra ſuaviter viventium. Et* Eccleſ. 37. *Vir peritus multos erudivit, & animæ ſuæ ſuavis eſt; quia ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, omni re defraudabitur, non eſt enim data illi à Domino gratia. Omni enim ſapientia defraudatus eſt.* Et Eccleſ. 2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam, devitaremque ſtultitiam.*

Effecta ſunt 1. Sermones extemporales de rebus divinis, quos ex Scioppio quotidie audiunt, quibuſcunque cum eo cædere ſermones libet. 2. Libri magno numero pleni novorum, & vete-

rum;

rum: ſicut Chriſtus dicit de ſcriba, quem Deus docuit ad regnum Cælorum, eum de theſauro ſuo proferre nova & vetera: Matth. 13.

2. Scientia rerum humanarum: de qua loquuntur libri multò plurimi Politici, Ethici, Logici, Rhetorici, Genealogici, Critici, & Grammatici jam inde ab anno ejus ætatis octavo decimo editi: magis autem id teſtabuntur alii ejus libri ad editionem ſive primam, ſive iteratam parati, qui ſunt numero circiter centum quinquaginta.

3. Uſus rerum & hominum, ſive experientia, quam ſibi peperit in Aulis Pontificum, Cæſarum, Regum, & Principum: in quibus omnibus haud multò ſecius, quam vel Principes, vel publici Oratores, honoribus affectus fuit.

Argumenta Facultatis externa.

TEſtimonia clariſſimorum Europæ virorum: quorum non pauca videre licet in volumine Coloniæ edito, quod Principum, & clarorum virorum Epiſtolas, inde ab anno ætatis nonodecimo ad eum datas complectitur.

Argumentum utriuſque, cùm Voluntatis, tùm Facultatis.

NUllius mortalium teſtimonium de Scioppii talentis plus fidei habere debet, quàm Reverendorum Patrum de Societate Jeſu. Hos enim ſatis exploratum eſt, nec intelligentia, & judicandi facultate defici, nec in Scioppii gratiam quicquam velle mentiri. Viderunt enim Philoſophiam ejus Stoicam anno 1606. Moguntiæ editam, cujus p. 22. non pauci de Societate compa-

rantur

rantur cum Sophiſtis à Platone deſcriptis ; cujus etiam hæc in eos verba conferuntur : *Id ne Dii ſiverint , ut quiſquam vel Civium , vel hoſpitum eò inſaniæ deveniat, ut iſtis Sophiſtis adhæreſcens , perdi ſe patiatur. Eorum quippe conſuetudo , certa illorum , qui eos ſectantur , peſtis eſt. Inſaniunt juvenes , qui argentum illis afferunt , atque his etiam deteriores ſunt , ſi qui illos , quorum cura ad ſe pertinet , Sophiſtis committunt. Omnium poſtremò inſaniſſimæ ſunt Civitates , quæ illos recipiunt , nec furcis expellunt.* Viderunt Scaligerum Hypobolimæum , anno 1607. itidem Moguntiæ editum , in quo Scioppius apertè fert , ſe neque conſilia , & mores multorum Jeſuitarum , nec Societatis in Scholis docendi rationem probare , eâque causâ familiari eorum uſu & conſuetudine abſtinere. Viderunt Amphotidas anno 1611. Nanceji editas , in quibus eis exprobratur , quod alicubi parum ex formula vivant , nec Regulam conditoris ſui Ignati ſatis obſervent ; & Principum negotiis pluſquam par ſit implicentur. Viderunt Paradoxa ejus literaria anno 1628. Mediolani edita, quorum pag. 80. inſignis ſtoliditatis arguuntur , partim quòd pueros Grammaticæ præcepta prius diſcere poſtulent , quam illi linguam Latinam intelligant : partim quod eas Regulas pueris in Grammatica obtrudant , quas mendoſas , & fallaces eſſe ipſi earum inventores agnoſcunt : ita ut eum qui ex Regularum præſcripto loquitur , aut ſcribit, optimi cujuſque auctorum claſſicorum diſſimillimum eſſe neceſſe ſit. In Rudimentis denique Grammaticæ Philoſophicæ pag. 216 ſe à Scioppio totidem verbis perſtrictos viderunt : *Qui pueris nondum Latina verba intelligentibus Grammaticam Latinam præcipiunt , ſunt , ut clementiſſimè dicam , ridiculi , ac perinepti : nihilque adeo mirum eſt , quod*

ſoli-

ſolidum quinquennium diſcipulos conterunt, priuſquam illi vel faciliores Ciceronis epiſtolas interpretari ſciant. Etſi autem iſta omnia Jeſuitæ vidiſſent, quamque id graviter, & iniquo animo ferrent nequaquam diſſimularent, quòd tamen multos inſigni virtute, ac doctrina memorabiles, omniumque bonorum amore dignos in Societate numerari ingenuè ſemper faſſus fuiſſet, eorum præcipui nihilo ea cauſa minus facere animum induxerunt, ut cùm libris editis, tùm privatis literis Scioppii ingenium, doctrinam, eloquentiam, conſilia, zelum, virtutem, integritatem, pietatem, fidem, prudentiam, & Sapientiam commendarent, Regem eum literatorum ſalutarent, & rei Catholicæ in Germania erigendæ, ac ſtabiliendæ, velut Cælo demiſſum, fauſtis ominibus & acclamationibus proſequerentur. Ejus rei ſpecimina de multis pauca libet ſubjicere.

Cardinalis Bellarm. epiſt ad Scioppium
22 Januar. 1612.

ECcleſiaſticum tuum Summo Pontifici laudavi, quia laude dignus erat. Quamvis enim in paucis quibuſdam doctrinæ capitibus à me diſſentias, ego tamen non tanti me facio, ut exiſtimem injuriam mihi fieri, ſi unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Laudavi in te peritiam Scripturarum ſacrarum, laudavi zelum converſionis hæreticorum, laudavi libertatem in Thuano reprehendendo, laudavi prudentiam, & ſapientiam in Rege Anglorum exagitando, laudavi multa alia, quorum memor jam non ſum, quæ doctè & luculenter in libro tuo explicabantur. Quare Deo gratias agere debes, qui tibi ingenium ad excogitandum, & facundiam ad ſcribendum, & elo-

eloquendum præſtitit, non mihi, qui quod facere debui feci, ac de cætero ſervus Dei inutilis ſum. Vale, vir optime, & me, ut facis, amare perge. Romæ.

Idem in alia ad eundem data 12 Martii, 1613.

GRatiſſimum mihi & aliis amicis eſſet, ſi Romæ haberemus perſonam tuam jam toto orbe terrarum celebrem. Doctor Faber nihil mihi adhuc novi operis tui dedit. Si quando dederit, avidè legam, ut ſoleo. Vale vir clariſſime, & me tui amantiſſimum, ut facis, ama.

P. Jacobus Keller in epiſt. ad Scioppium 6 Januar. 1612.

SEræ etiam gratiæ locum invenient apud humaniſſimum D. Scioppium, cujus ego ingenium in tractanda Sacra Scriptura planè ſuſcipio. Ea enim ſenſa aperit, quæ mihi, plurimiſque aliis non facilè occurrerent. Certè quædam in Prophetis intelligo, quia Scioppium intelligo.

Idem in alia ad eundem 27 Septembr. 1612.

LIbrum tuum anhelante quadam aviditate decurri, & habebam cupidinis illectamentum. Ubique ingenii & eloquentiæ notæ, quæ etiam ignorantem delectant. Ego ſanè ex primis admiratoribus Scioppiani ingenii ſum, atque etiam cultor.

Ingolſtadienſes Jeſuitæ in tribus Capellis editis, 1608.

VIr illuſtris Gaſpar Scioppius pro ſua egregia in Deum pietate, & adverſùm omnes bonos amore, non ferendam ultrà ratus eſt incircumciſi illius Burdoſcaligeri audaciam.

Itidem

Itidem in profanatione fragmenti Eccleſiaſtici Scioppiani, quod Ingolſtadii ediderunt anno 1611.

GAſpar Sioppius, vir antiqua virtute & fide, innocentiæ patrocinium, ut illuſtri Equite dignum eſt, libens ultrò ſuſcepit.

P. Paulus Bombinus epiſt. ad Scioppium 31. *Julii*.1620.

EGo nihil magis habeo inter ſeria, quam Scioppii mei memoriam, & nomen. Hæ primæ meæ curæ. Ama me vir ſingularis cultorem tui unicum, & loquentiſſimum admiratorem.

Idem in alia 3. *Septembris* 1620.

NUllus niſi à Scioppio meo Sol; nullus dies. Vale plurimum ævi noſtri decus, & ſi nos valere vis, veni.

Idem 1. *Octobr. anno* 1621.

CLariſſime, & immortalitate digniſſime vir. Utinam coram alloqui te liceat, audires, quæ horreas. Interim ama me. Majus mihi in terris à Deo ex humanis munus ne peto quidem. Vale.

Idem 23. *Octob.* 1621.

QUam libenter omnes jurisjurandi ſanctitates advocaſſem, ut tibi perſuaderem, me bonum jam hinc, probabilemque virum futurum, hoc eſt, amantem tui, beneficiorumque memorem eorum, quæ adeo liberaliter in me contuliſti: Sed parco auribus, & modeſtiæ tuæ. Tu modo ſic habe: Scioppii elogium illud eſſe me autore, *Amicorum neminem ejus beneficiis parem fuiſſe.*

P. Emanuel Theſaurus in epiſtolis ad Scioppium.

PErilluſti Viro Gaſpari Scioppio eruditorum Regi.

P. Lau-

P. Laurentius Forerus in epiſt. 14 Auguſti. anno 1630.

INtegerrime Scioppi, labora ut bonus Chriſti miles, & inſta opportunè, importunè, obſecra, argue, increpa, ut Principes habeant veram in Deum fiduciam, ut Conſiliarii eorum induant Heldi animos. In intimis præcordiis, & candiſſimo pectore te amo, & quo par eſt cultu tantum virum veneror & colo: nec aliud exiſtimo, quam te cœlitus hoc tempore Ratisbonam eſſe delatum, ut rem Catholicam tuis conſiliis erigas, & ſtabilias.

Idem in alia, 22 Auguſti, 1630.

DEus repleat te cœli benedictionibus, ut benè valeas, & adverſus Hæreſin nova Tropæa ſtatuas.

De Foreri, ejuſque ſimilium confeſſione Scioppii judicium.

NOn accipio à Diabolo teſtimonium, ſed Confeſſionem Invitus dixit Diabolus, ſed exactus, & tortus, ait *S. Ambroſius Serm.* 91.

2 Paral. 25. V. 18

CArduus qui eſt in Libano miſit ad Cedrum Libani dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Et ecce beſtiæ, quæ erant in ſylva Libani, tranſierunt, & conculcaverunt Carduum.

URBANI PAPÆ VIII.

Privilegium.

URBANUS PAPA VIII.

AD futuram rei memoriam. Cùm ſicut accepimus, dilectus filius *Gaſpar Scioppius* diverſa opera à ſe compoſita, jam forſan impreſſa denuò, ſeu alia nondum impreſſa in lucem edere intendat: vereatur autem ne alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, opera prædicta typis cudi facere curent, in ipſius *Gaſparis* præjudicium. Nos ad inſignem ipſius *Gaſparis* doctrinam, atque eruditionem, egregiamque variarum literarum ſcientiam paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, ejuſque indemnitati, ne ex impreſſione hujuſmodi aliquod diſpendium patiatur, providere, ac illum præmiſſorum meritorum ſuorum intuitu, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Eidem *Gaſpari*, ut triginta annis durantibus à primæva dictorum operum (dummodo quoad opera Romæ imprimenda à dilecto filio Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici approbata ſint) impreſſione computando, nemo tam in Urbe, & reliquo univerſo Statu Eccleſiaſtico mediatè vel

vel immediatè nobis ſubjecto, quàm extra Statum, hujuſmodi opera prædicta ſine ſpeciali dicti *Gaſparis*, aut ejus hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eis cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel ab aliis in futurum imprimenda vendere, ſeu venalia habere, aut proponere poſſit, & valeat: ita tamen, ut jam legitimè impreſſa ubilibet, & à quolibet vendi poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim librorum impreſſoribus, ſub excommnnicationis latæ ſententiæ pœna, à quâ non niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, prævia etiam ſatisfactione, quiſquam abſolvi poſſit, & quoad perſonas nobis, & Apoſtolicæ Sedi ſubjectas, etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro una Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia eidem *Gaſpari*, ac pro reliqua tertiis partibus accuſatori, ac Judici exequenti irremiſſibiliter applicandorum, & eo ipſo abſque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne dictis triginta annis durantibus opera prædicta aut aliquam eorum partem, etiam prætextu additionis, aut explanationis, ſcholiorum, aut interpretationum: ſeu aliàs quomodolibet tam in magno, quàm parvo folio: ac tam in Urbe, & reliquo univerſo Statu Eccleſiaſtico, quàm extra dictum Statum ſine hujuſmodi licentia imprimere, aut ab aliis impreſſa vendere, ſeu venalia habere, aut proponere quoquomodo audeat, ſeu præſumat. Mandantes propterea dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, & Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, &

aliis Juſtitiæ Miniſtris, Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus eidem *Gaſpari*, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus, ſeu ab eis cauſam habentibus hujuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocunque ab eodem *Gaſpare*, & aliis prædictis fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcunque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis: privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam in ipſis operibus impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 6 Julii, 1624. Pontificatus noſtri anno primo.

FERDINANDI II.

Romanorum Imperatoris Privilegium.

FErdinandus Secundus Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Sti-

riæ,

riæ, Carintiæ, Carniolæ, & Wittembergæ &c. Comes Tirolis &c. Agnoſcimus, & vigore præſentis Dilpomatis conſtare volumus univerſis. Inter reliquas rectè adminiſtrandæ Reipublicæ ſollicitudines magnopere nobis ſemper curæ fuiſſe, atque etiamnum eſſe, ut ingeniis præſtantibus, quæ rerum uſum, & prudentiam cum pietatis zelo, & ſolidæ eruditionis laude conjunxerunt, debitus ubique honor habeatur: tum vero labores illorum indefeſſi, & lucubrationes librariæ, quibus vel Religionem Catholicam fortiter propugnant, vel ad pietatis, virtutumque ſtudia acriores ſtimulos addunt, aut politica aut hiſtorica illuſtrant, vel ſcientias & diſciplinas humaniores adornant, adeoque in omni genere Reipub. conſultum eunt, à quorumcunque injuriis, & machinationibus Auguſtalis patrocinii clypeo defendantur. Poſtquam itaque probè compertum habemus, quam ſtrenuè à longo jam tempore honorabilis, fidelis, nobis dilectus Conſiliarius noſter *Gaſp. Scioppius*, inter ævi hujus eruditos merito recenſendus, in eo ſtadio decurrerit, iſthuc potiſſimum collimans, ut quæ multijugi lectione notavit, ſolerti meditatione digeſſit, præclaro judicio expolivit, eleganti ſtylo expreſſit: tum ad Sacram, vetuſtamque Religionem noſtram Catholicam propagandam: tum ad Imperii Romani, & Auguſtæ Domus noſtræ Majeſtatem tuendam: tum vero ad hiſtoriam, & politioris literaturæ exactiorem cognitionem pertinentia præli beneficio in publicum vulgari, atque in plurimorum utilitatem redundare poſſint. Neque verò ignoremus quam multiplices librariorum fraudes, dum quæſtus cupiditate illecti, primas id genus editiones contra auctorum voluntatem

præripere, pleiumque etiam mendoſè imitari ſolent, tum præclaros literatorum conatus remorentur, vel obſcuriores reddant. Idcirco pro ſingulari & propenſa affectione noſtra Imperiali in ſupradictum Conſiliarium noſtrum *Gaſparem Scioppium*, quem ſummus quoque Pontifex literis efficaciter, & perhonorificè ſcriptis commendatiorem nobis reddidit, indemnitati illius clementer hoc loci Diplomate hoc noſtro Typographico conſulendum cenſuimus. Univerſis & ſingulis Bibliopolis, Typographis, & quibuſcunque aliis negotiationem librariam exercentibus feriò inhibentes, & vetantes, ne quiſquam eos libros, quos ſuprà dictus *Scioppius* ſive jam antè edi curaverit, ſive in poſterum quoque editurus ſit, quocunque modo, charactere, vel formâ, ſive integros, ſive fruſtillatim idiomate Latino, vel in aliam linguam translato, citra memorati Auctoris, ejuſve hæredum voluntatem, & expreſſum conſenſum, intra annos triginta continuos à prima editionis die computandos recudere, vel alio recudendos dare, ſive alibi etiam impreſſos intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque, & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines apportare, vendere, vel diſtrahere auſu temeratio præſumat. Si quis verò edictum hoc noſtrum Cæſareum transgredi, violare aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm hujuſmodi librorum exemplaribus, perperam quippe recuſis, & advectis, quæ dictus *Scioppius*, ejuſve hæredes ubicunque reperta, ſive propria auctoritate, ſive loci illius Magiſtratus auxilio ſibi vendicare poterunt, privandum, ſed & pœna triginta Marcarum auri, cujus ſemis dicto *Scioppio*, vel hæredibus, reliquus verò Fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici pendetur, quotieſcunque

contrà

contrà factum fuerit, omni ſpe veniæ ſublata, mulctandum decernimus. Dummodo tamen ejuſmodi libri, ſive in præfatione, ſive in contextu, aut aliàs quocunque modo nihil in ſe contineant, quod vel Orthodoxæ Religioni Catholicæ, vel Sacri Romani Imperii Conſtitutionibus quibuſcunque, nominatim verò de Pace Religionis, & profana ſancitis ulla ratione adverſetur: adeoque fidelium noſtrorum Principum, ac Statuum Imperii animos meritò exacerbare poſſit: quod ſæpè dictum auctorem pro ſingulari diſcretione ſua, ſpectatâque erga nos fide, & erga communem patriam amore, ſedulò cauturum clementer confidimus, omninóque ut ita fiat præcipimus, ac jubemus: tum verò ut unicuique Operi per ipſum edendo Privilegium hoc noſtrum præfigi, & pro veteri more, minimum terna cujuſque libri exemplaria ad Imperialem noſtram Cancellariam ſuis ſumptibus quamprimum mittenda curet.

Mandamus ergo univerſis noſtris & Sacri Rom. Imperii, Regnorumque, ac Ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, præſertim verò iis qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine, & loco jus ac juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam Privilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè, & impunè transgredi, aut violare patiantur: quin potius contumaces, ſi quos forte compererint, præſcripta pœna mulctari, aliiſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint; harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Civitate noſtra

Imperiali Ratiſbonæ, die undecima Menſis Febr. Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo Vigeſimo tertio, Regnorum noſtrorum Romani 4 Hungarici 5 Bohemici verò ſexto.

Aliud Cæſ. Majeſtatis Diploma.

FErdinandus Secundus divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus; ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ. Carinthiæ, Carniolæ, &c. Wirtembergæ &c. Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cùm nobis Honorabilis noſter, & Imperii Sacri fidelis dilectus *Gaſpar Scioppius* humiliter in memoriam revocârit, eſſe jam prope octennium quando ſibi ex gratia & benignitate noſtra Cæſ. certo quodam modo poteſtatem fecerimus, omnia & ſingula opera ſua literaria Typis vulgandi, atque ad hoc ipſum ſub certa pœna publicè edixerimus, ne quis ejuſmodi opera ſua intra noſtras, & Sacri Imperii Ditiones, aliave Regna, & Provincias noſtras hæreditarias, citra voluntatem ſuam, vel ejus eorumve, cui vel quibus ipſe dediſſet, in parte, vel in toto, Typis in eadem aliave forma imitari, vel in aliam linguam translata aut alibi recuſa intra prædictos fines venales importare auderet: jamque denuò eadem humilitate nobis expoſuerit, præter alias quaſdam lucubrationes ſuas, nunc in manibus ſe habere affectum, vel potius jam ferè perfectum opus, cui titulum *Theſaurus Scioppianus, ſive abſolutiſſimi de Lingua Latina Commentarii*, dederit, quod proinde juris publici facere, Typiſque vulgare cupiat: atque

atque ad hanc rem demiſsè nobis ſupplicârit, ut quando ejuſmodi opus ſine multorum, eorundemque doctorum, ac variarum linguarum peritorum hominum opera & labore, multiſque eò requiſitis ſumptibus abſolvere, nedum publicare poſſit, privilegio ſe noſtro Cæſ. contra imitatorum fraudes tempeſtivè ad longius tempus communire dignaremur. Nos ſanè qui de ſtudio, & doctrina variâque eruditione, & prudentia dicti *Gaſparis Scioppii* eximiam quandam opinionem, non magis ex aliorum relatione, quàm proprio judicio conceptam ſemper habuimus, quique ejuſmodi libros & lucubrationes ipſius quàm elegantiſſimis Typis expreſſas, & quàm emendatiſſimas in publicum venire non magis ipſius, quàm totius Reipublicæ Chriſt. intereſſe judicemus, in ejuſmodi preces ipſiùs quàm libenter conſenſerimus, prout vigore præſentium conſentimus. Quapropter omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quibuſcunque librariam negociationem exercentibus ſerio inhibemus, & vetamus, ne quiſquam in poſterum eos libros, quos ſupradictus *Scioppius*, ſive jam edi curârit, ſive in poſterum quoque editurus ſit, quocunque modo, charactere aut formâ, ſive integros, ſive aliquam eorum partem, citra prælibati auctoris, ejuſve hæredum voluntatem, & expreſſum conſenſum Typis mandare, recudere, aut alii recudendos dare, vel alibi etiam impreſſos venum exponere, vel diſtrahere palam, ſive occultè auſit. Si quis verò Edictum hoc noſtrum Cæſareum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm hujuſmodi libris perperam recuſis & apportatis (quos dictus Autor, ejuſve, quem ſibi delegerit, Typographus, ubicunque inventi fuerint, ſive propriâ, ſive Magiſtratus authoritate atque auxilio, ſibi vindicare pote-

poterunt) privandum, verùm etiam pœnâ decem marcharum auri puri, cujus ſemis injuriam paſſo, aut paſſis, alter verò ſemis fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, quotieſcunque contrà factum fuerit, pendatur, omni ſpe veniæ ſublatâ, mulctandum decernimus. Dummodo tamen ejuſmodi libri, nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacri Rom. Imp. conſtitutionibus adverſum, vel bonis moribus contrarium, ſive in præfatione, ſive in contextu, ſive alio quocunque modo contineant, & Typographus cui imprimendi cura ab auctore demandata fuerit, quaterna ut minimùm dictorum librorum exemplaria, ſuis ſumptibus, de primis ſtatim editionibus ad Cancellariam Imperialem Aulicam tranſmittat, Mandamus ergo Univerſis noſtris, & Sacri Imp. Regnorumque ac ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, præſertim verò iis, qui in magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine & loco, juris ac juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam Privilegium hoc noſtrum Cæſ. temerè & impunè transgredi aut violare patiantur: quin potius contumaces, ſi quos forte compererint, præſcripta pœna mulctari, aliiſque modis idoneis coërceri curent quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum & ſigilli noſtri Cæſ. impreſſione munitarum. Dat. in Civitate noſtra Imp. Ratisbonæ, die tertia Menſis Nov. An. Dom. milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo. Regnorum noſtrorum Romani duodecimo, Hungarici decimo tertio, Bohemici verò decimoquarto.

Aliud

Aliud Ejuſdem Diploma.

FErdinandus Secundus divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Wirtenbergæ &c. Comes Tyrolis &c. Univerſis ac ſingulis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præëminentiæ exiſtant, qui præſentibus requiſiti fuerint, ſalutem, benevolentiam & gratiam noſtram, ac omne bonum. Cùm præſentium exhibitor honorabilis, fidelis, nobis dilectus Gaſpar Scioppius Conſiliarius noſter, nobis exponi curârit, ſe periculoſiſſimis hiſce belli temporibus nullibi certum domicilium figere poſſe, ſed rebus ſuis ita exigentibus, crebra ſe itinera & commutationes domicilii facere debere, vereri autem, ne viis, tumultuoſis hiſce belli motibus, undique minùs ſecuris, ſcripta & adnotata ſua pro bono publico collecta intercipiantur, vel ab hominibus ſibi parum amicis perluſtrentur, unde ipſe ſperato deſiderii ſui in bonum publicum collimantis fructu defraudari poſſit, demiſsè ſupplicando, ut ſcriptorum librorum, & rerum ſuarum familiarium indemnitati contra molitiones quorumcunque, qui ſub quovis prætextu eas perſerutari vellent, Literis noſtris patentibus cavere dignaremur. Nos ſanè qui Viros literatos hactenus proteximus & promovimus, atque in primis eos, qui ſtudia eò direxerunt, ut non ſibi ſolùm, ſed Reipub. ſtuduiſſe viderentur, ejuſdem petitioni libenter annuimus. Ac proinde Devotiones, ac Dilectiones Veſtras, alioſque Nobis non ſubditos benevolè clementerque

que hortamur, ac requirimus, Noſtris verò ac Sacri Imperii, Regnorumque ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum Subditis ac fidelibus dilectis ſeriò mandamus, ac præcipimus, ut prædictum Conſiliarium Noſtrum Gaſparum Scioppium, ubique liberè, tutò, ire, tranſire, proficiſci, commorari ac recedere ſinant, nec ulla ipſum ſive in perſona, ſive luſtratione rerum, ſcriptorumque ſuorum, moleſtia, impedimento, vel injuria afficiant, aut à quoquam affici permittant: quin potius contra machinationes quorumcunque, qui contra tenorem harum literarum noſtrarum Patentium, & voluntatem dicti Scioppii auſu quovis temerario quicquam agere præſumerent, tueantur, adjuvent, & defendant, & alios, ne quid in contrarium faciant, pro viribus prohibeant. Facturæ ſunt in eo Devotiones ac Dilectiones Veſtræ, aliique, rem ſua æquanimitate ac ſolita in nos obſervantia dignam, Nobiſque gratam, Cæſarea noſtra benevolentia, & gratia per occaſionem viciſſim agnoſcendam. Noſtri verò & Sac: Imp. Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditi exequentur ſeriam, & expreſſam voluntatem noſtram. Datum in Civitate noſtra Viennæ, die ſecunda Menſis Maji, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio. Regnorum noſtrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo quinto, Bohemici verò decimo ſexto.

Honorabili noſtro, & Sacri Imperii fideli, dilecto Gaſpari Scioppio *Conſiliario noſtro.*

FErdinandus Secundus divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Honorabilis fid. dilecte. Accipies hiſce

hiſce conjunctas ad Cardinalem Infantem Hiſpaniarum nepotem noſtrum chariſſimum, quarum ſenſum convenienti ſermone proſequi noveris, ſi illo fortaſſis modo, prout confidimus, deſiderium noſtrum pietatis, quæ ad omnia utilis eſt, promoveri queat. Hujus itaque negotii faciliores ſucceſſus à dexteritate tua præſtolamur, gratia noſtra Cæſarea benigniſſimè erga te affecti. Datum in Civitate noſtra Viennæ, poſtridie Calend. Julii, 1633.

Sereniſſimo & Reverendo Principi

D°. FERDINANDO

CARDINALI,

Infanti Hiſpaniarum, Nepoti noſtro chariſſimo.

CONſiliario meo Gaſpari Scioppio veteri, & ſpectatæ fidei totius Auguſtæ Domus noſtræ Miniſtro benignè injunxi, ut literas haſce, ac certum, quod à Dilectione Veſtra requiro officium, quam acceptum mihi ſit futurum, Dilectioni V. repræſentet. Cui eundem de meliore nota commendo virum de literis, de Republica & Religione benè meritum, & diuturnis obſequiis Auguſtæ domui noſtræ devotiſſimum. Cæterùm Divini numinis benignitas ſervet Dilectionem V. longævam, & proſperis rerum ſucceſſibus florentem, Datum Viennæ die 28 Junii anno 1633.

PHI-

PHILIPPI IV.

Catholici Hiſpaniarum, & Indiarum Regis Privilegium.

PHilippus Dei gratia Rex. &c. Cùm nobis expoſitum ſit, *Gaſparem Scioppium*, Cæſareum & noſtrum Conſiliarium plura opera hactenus conſcripſiſſe, & edidiſſe, & adhuc conſcribere & edenda habere, quæ Sanctiſs. D. Urbanus VII. Pontifex Maximus, Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ intereſſe judicet, ut in lucem exeant; ſuôque ideo ipſum privilegio adverſùs fraudes hominum avidorum, alieni laboris fructum intercipere ſtudentium, muniverit, deſideretque ut ſimili noſtro privilegio dicto *Scioppio* caveatur, hinc nos & voluntati ſuæ Sanctitatis, per ejus Nuntium nobis expoſitæ obſequi, & dicto *Scioppio* gratiam noſtram impartiri cupientes, ſtatuendum duximus, & ſtatuimus per præſentes, ne quis Typographorum, aut aliorum, qui librariam negociationem exercent, libros dicti *Gaſparis Scioppii* editos, vel edendos quocunque modo, vel in aliam linguam converſos, ſive integros, ſive ex aliqua tantum parte poſſit triginta annis proximis à prima edendi cujuſque operis die typis imitari, edere, vel excudere, vel alibi impreſſos importare, diſtrahere, vel venales habere, per omnes noſtrarum Ditionum fines, citra voluntatem expreſſam prædicti *Scioppii* hæredumve ejus: Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & mulcta trecentorum Philippeorum aureorum Fiſco noſtro, & Officiali exſequenti, nec non denunciatori pro trienti applicanda plectatur. Mandantes

tes univerſis, & ſingulis noſtris Officialibus, Magiſtratibus, & Subditis, ne quenquam hoc Privilegium impune violare patiantur. In cujus rei fidem haſce literas ſigillo noſtro muniri juſſimus. Datum in Oppido noſtro Bruxellenſi die 10. menſis Julii. Anno Domini 1626. Regnorum autem noſtrorum ſexto.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google